33. Jahresbericht

des städtischen

Realprogymnasiums

zu

Papenburg

Schuljahr 1906—1907.



Beigegeben ist die Abhandlung:

Metamorphoseon Ovidianarum fabulae prima et secunda unde sint haustae,

vom Direktor **Dr. Hans Nolte.**

Papenburg 1907.
Gedruckt bei J. J. Lauscher.

1907. Programm-Nr. 403.

Inhalt.

Metamorphoseon Ovidianarum fabulae prima et secunda unde sint haustae.

Ante hos centum viginti annos Mellmann commentatione Lipsia (de causis et auctoribus narrationum de mutatis formis, 1786) Ovidium magna in parte metamorphoseon Nicandri Colophonii Ἑτεροιούμενα, tempore Attali II. composita esse secutum conatus est probare, ad quam sententiam nonnulli viri docti ut RMerkel et MHaupt accesserunt. Quodcontra Leutsch (in Erschii et Gruberi encycl.) partem haud exiguam fabularum ex encheiridiis quibusdam mythologicis, qualia Antonii Liberalis Μεταμορφώσεων συναγωγή et Hygini fabulae exstant, deprompttam esse existimavit, quam opinionem ARiese ita confirmans: „Sane, inquit, ineptum esset negare Nasonem syllogas illas [inter quas Partheniana et Romae scripta et recentissima erat] in usum suum vocasse; neque veri dissimile puto poëtam Hygini grammatici, amici sui, doctrina in perscrutandis scriptoribus adiutum esse". Quibus verbis Petersen Kiliensis nihil deterritus est, quominus Ovidium uno Parthenio auctore esse usum contenderet (Quaestiones Ovidianae, 1877). ERohde, celeberrimus ille Hamburgiensis, de metamorphoseon fontibus fieri non posse censet, ut certi quidquam indagetur. (Griech. Roman, 1876, p. 127,1) Quin etiam GPlaehn persuasum habet nostrum syllogas aut epitomas omnino non adhibuisse. (De Nicandro aliisque poetis Graecis ab Ovidio in metamorphosibus conscribendis adhibitis, Halle 1882). A qua opinione ad Riesii sententiam recedens Kienzle (Ovidius qua ratione compendium mythologicum ad metamorphoseis componendas adhibuerit, Basel 1903) ex fabularum ordine et ratione tractandi metamorphoses Ovidii cum Appollodori et Hygini consentire collegit, id quod in Nicandri quoque mythologias cadere cum Mellmanno Dietze vult (Komposition und Quellenbenutzung in Ovids Metamorphosen, Beilage zum Programm des Johanneums in Hamburg, 1905).

Rediit igitur, unde profecta erat, quaestio, ac nisi forte ad labores infructuosos propensi sumus, nobis via adhuc trita nihil certi explorari agnoscendum est.

Illud quidem inter omnes fere constat Ovidium, quicumque fuerunt eius fontes, nusquam ullius auctoris vestigia imitando pressisse. Etiamsi nec novas invenit fabulas nec attribuit antiquas novis personis aut locis, tamen omnes ita mutatas modo minutas modo auctas narrat, ut ab eo inventae esse videantur. Undique, quae ingenio eius placebant, congessit, haud raro aliunde materiam, aliunde narrandi genus mutuans.

Quae cum ita sint, dubito an ne ipse poëta quidem, unde singula sint hausta, certo potuerit indicare ac vehementissime iis assentior, qui Ovidium non magis ex libris, quam ex memoria narravisse asseverant. Fabulas Graecorum quin iam a puero memoriae satis inculcaverit, minime dubium est, utpote quae tum in litterarum elementis tradebantur. Metamorphoses nonnihil doctrinam scholarum rhetoricarum sapere iam Köchly cognovit (ad Quintum Smyrnaeum p. 180). Neque vero Ovidius solum fabulas luminibus artificiisque rhetoricis adornavit et multa ex memoria rhetorumque exercitationibus arrepta addidit, verum

etiam scholae doctrinae partem in fabulas transformavit. Quae e Pythagorae placitis libro extremo adsumpsit, quamvis propter μετεμψύχωσιν a mutatarum formarum opere non aliena, tamen non fluxisse ex libris mythicis omnes facile concedent. Idem ipsum vero de prima quoque operis fabula est iudicandum.

Atque creationem mundi, ut narratur ab Ovidio, non manavisse ex 'uberrimo Graecorum poetarum mythographorumque penu' ipse adspectus docet. Neque enim est mythologiae aut distinguere inter 'deum et meliorem naturam', inter 'liquidum caelum et spissum aërem' aut supputare 'aërem tanto esse igni onerosiorem, quanto terrae pondus est levius pondere aquae'. Mythi ut ignorant 'discordia semina rerum, tellurem ponderibus libratam suis, terram magni speciem glomeratam in orbis, facientes fulgura ventos', ita minime nesciunt, 'quis fuerit deorum mundi creator', quippe qui nunquam nisi additis nominibus narrant, cum Ovidii 'quisquis fuit ille deorum' vel 'ille opifex rerum, mundi melioris origo' auctorem caeli et terrae in occulto reliquerit. Neque enim poetas mythographicos, sed philosophos secutus est.

In quo numero, qui quaestioni originis mundi excutiendae operam impertiverant, omnium primus Anaxagoras est, cuius placita fere haec sunt. Mundum non ex paucis elementis esse factum, sed omnium rerum, ut carnis, ossium, auri etc. iam inde a principio exstitisse semina mixta (πανσπερμία τούτων). Quae cum immensa et inter se dissimilia essent (σπέρματα ἄπειρα πλῆθους οὐδὲν ἐοικότα ἀλλήλοις), in ordinem mundi adduci non potuisse nisi vi quadam et ratione, ab Anaxagora νοῦς appellata, quo nomine eum divinam mentem vel numen significavisse Cicero (Ac. II. 37. 118) et Sextus (Math. IX. 6 νοῦν, ὅς ἐστι κατ' αὐτὸν θεός) referunt. Mundum a mente divina ita ex chao creatum esse, ut motu mirae velocitatis exitato rerum semina secernerentur, spissa a liquidis, frigida a calidis, lucida ab obscuris, humida, a siccis. Calida sicca, liquida lucida ab Anaxagora nomine aetheris, frigida humida, spissa obscura aëris voce corripiuntur (cf. Zeller, griech. Philos. I S. 794 ff.)

Neminem fugiet inter philosophi et poëtae cosmogonias magnam intercedere similitudinem, sed cave credas Ovidium ipsum fabulam duxisse ex placitis Anaxagorae, quae haud scio an nunquam legerit. In scholis rhetoricis Augusti temporibus philosophia stoica tradebatur, cui indulgebat nobilitas Romana. Scipio minor Panaetio, Pompeius et Cicero Posidonio, Augustus Apollodoro, Tiberius Theodoro magistro utebatur, qui omnes stabant a stoa. Atqui stoici illius aetatis non magis Zenonis studiosi, quam eclectici erant, qui undique, quae placita alienae doctrinae laudabant, in suam philosophiam recipiebant. Cuius eclecticismi documentum praebet Ovidii cosmogonia, quae, quod animadverterim, fluctuat inter Pythagoram Anaxagoram, Aristotelem opinionem vulgarem. Quod qui diligenter perpendit, primam metamorphoseon fabulam, quam Bayle ipso illo chao obscuriorem declaravit, multo facilius perspiciet, id quod duobus tribusve exemplis illustrare liceat.

Sunt, qui 'formas mutatas in nova corpora' per hypallagen esse dictum velint, tamquamsi figuris rhetoricis ineptiae possint purgari. Formae nequeunt mutari nisi in formas, nec corpora in quidquam nisi in corpora. Attamen dubitationem non habet, quin verbis corporis et formae, id quod nemo Romanus litteris imbutus ignorabat, redderetur Aristotelicum ὕλη et εἶδος. Aristoteles cunctam naturam continuo ita transmutari docet, ut quaeque res et corpus et forma sit. Lignum enim a fabris tignariis perpolitum, quod si refers ad statum pristinum, forma, relatum vero ad domum ligno constructam corpus est. Qua in scala transmutationum nimirum infimus gradus nihil nisi corpus, supremus nihil nisi forma est. Supremam formam Aristoteles eandem esse ac mentem divinam exponit. Quod placitum Ovidius quam bene noverit, in versu 73. ostendit, ubi verbis 'formae deorum' utitur.

Aeque faciles sunt intellectu versus 15. et 16. saepissime discussi, si Anaxagorae στοιχεῖα et ὁμοῦ πάντα χρήματα reputantes vertimus: Zwar gab es dort Luft, Erde, Meer und Äther, aber die Erde konnte man nicht betreten, auf dem Wasser nicht schwimmen etc.

Illam litem versus 21., quam deus et melior natura diremit, clarius ullo commentario Anaxagorae νεῖκος ἀλαόν interpretatur, quod ὁ νοῦς διῆρε καὶ διεκόσμησε καὶ ἐκ τῆς ἀταξίας εἰς τάξιν ἤγαγε, (Plut. De plac. I 3).

Sed haec hactenus.

De successione aetatum, quae secunda metamorphoseon fabula describitur, apud veteres scriptores tres sententiae emissae sunt, quarum prima praecipue a poetis pronuntiata res humanas initio prosperas paulatim esse depravatas vult, altera a philosophis comprobata condicionem hominum gradatim commodiorem in statum esse redactam statuit, tertia ex historia desumpta priscum aevum in ordinem discribit metallorum, ex quibus arma conficiebantur, lapidis enim, aeris, ferri. In numero aetatum scriptores inter se dissentiunt. Hesiodus quidem quinque, Ovidius quatuor recenset. Qui quam opinionem sit amplexus, difficile est dictu, cum ex unaquaque aliquid pendere videatur. Ad universum scilicet nihil aliud exprimere vult, nisi hoc: 'genus hominum a statu naturali et animi integritate gradatim delapsum esse ad hanc et vivendi rationem et vitiositatem', quapropter primae aetati nomen aureae imponit, quo epitheto praestantissimum quidque appellatur. Secundam a metallo inferiore argenteam vocari consentaneum videtur. Tum vero poëta ordinem historicum sequitur, neque enim aere, quamvis arma aënea ferreis essent priora, ferrum erat deterius. Quatenus noster ex philosophorum sententia penderet, descriptione vitae aurea aetate actae planum fit.

Vivebat enim aurea proles in omnium rerum abundantia, quae cum fluminibus iam lactis, iam nectaris, iam flavi mellis comparatur. 'Per se dabat omnia tellus'. At cibi, quibus beatae illae gentes vescebantur, tantum abest, ut invidiam moveant, ut Romanis Ovidio aequalibus sine dubio horrorem inicerent. Arbutus enim, quae arbor fructicosa in Italia abundat, poma fert fragis similia et difficilia ad coquendum, quibus tenuioris tantum sortis homines vesci solent. Corni fructus lapidosos et nihil fere carnis habentes, quibus Homeri temporibus sues pascebantur, Vergilius (Aen. III 649) victum infelicem vocat. Rubi quoque mora silvestria nemo bene sanus in cibis lautis habebit, quamtumvis de gustibus non sit disputandum. Glandes quernas primis mortalibus alimento fuisse vulgaris sane erat veterum opinio. Nihilo setius non eae sunt, quae animos hominum admodum alliciant. Tales fructus gentes illas lacte, nectare, mellibus circumfluentes aluisse Ovidius non ex ullo auctore, sed ex memoria sua hausit, qua poëtarum philosophorumque opiniones confuderat. Qui fit, ut inter tot poëtas in eodem argumento versantes et nostrum perpaucae similitudines intercedant. Immo genere funditus sui proprio narrandi utitur. Passim enim sese, ut erat praeceptum rhetoribus, non modo movendi delectandique, sed etiam docendi studiosum praestat. Praeterea tota narratio rhetorico quodam induta est habitu, qui nisi ex residuo disciplinae rhetoricae ducitur, non est quomodo explicetur.



Zur Aufnahme in die [illegible]
1. Vorbereitung [illegible]
2. Ausbildung [illegible] leserlich nieder-
zuschreiben, [illegible]
3. Geübtheit [illegible] Grundrechnungs-
arten mit ganzen [illegible]
Für die [illegible] Lehrpläne und
Lehraufgaben [illegible]
Tritt ein [illegible] Aufnahme-
prüfung [illegible] Quinta [illegible]
sich zu sol[illegible]
der Sch[illegible] Quarta [illegible]
die Tertia [illegible]
der Anstalt [illegible]
[illegible]
druckt [illegible]
Buch [illegible]
des K[illegible]
genom[illegible]
Anstal[illegible]
an die [illegible]